

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0456

0454

0460

0450

0465

0445

0505

0405

0555

0355

0955

Ende

Anfang

442

cum elephante, quem vincit cornu petens in molliori parte corporis, et ut dictum est, virgines miro modo veneratur.

Pompejo magno fuit unus unicornus Romam adductus pro spectaculo, ut dicit Albertus de animalibus. Longam ergo moram fecimus sub monte, in quo bestia stabat, et videbatur nobis, quod sicut ejus aspectus fuit nobis delectabilis, sic et aspectus noster sibi, fixa enim stabat bestia, nec fugit nisi nobis recendentibus.

In processu pastorem vidimus minantem gregem per crepidinem montis, quod mirabile fuit in oculis nostris, eo quod diu hominem non vidisemus, aut bestiam saltim domesticam. Deinde in locum venimus, in quo deprehendimus habitasse noviter Arabes, quia adhuc stabant ibi aliqua tuguriola de sarmentis, alia erant combusta, quorum ignis nondum ad plenum exstinctus erat, timuimus ergo, ne forte nobis in aliquo loco occurrerent, sicut et accidit, ut patebit. Die ad vesperascente desertum Schoyle dictum ingressi sumus et in valle non parva tentoria fiximus et diligentiori cura nocte ista vigilavimus, ne Arabes super nos repente irruerent.

### Gravis deserti diaeta.

Die XXI., quae est Matthaei apostoli et evangelistae, quae erat dominica XVI. post Trinitatis, summo mane a Schoyle recessimus et per vallem satis amoenam ascendimus habentes petrosos montes ad utrumque latus et valde excelsos, et erant montes isti insuetae et mirabilis formae, quasi essent cascati, et terrae fundus limosus et graminosus. Accipi autem faciliter potest forma et dispositio illorum montium in subjecta fictione poetica, ita tamen, quod ponantur montes ceteriores fuisse ante hos anteriores. Siquidem Diana, montium dea et venatrix rhinocerotum, et praeses viarum, a littoribus maris Erithraei venit in terram Madian vecta currus pretiosissimo, quem albi cervi trahebant, tendebat autem in altissima montana, quae veteres Orchades nominabant, nos vero eos post datam Moysi legem Oreb et Sinai dicimus, et ibi venari volebat. Dum autem in locum hujus vallis, qui nondum vallis erat, venisset, impeditus fuit cursus cervorum currum suum trahentium, (b) quia

